



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Silentium & custodia sensuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

ac potu sobrius sit, maximamque curam habeat quantitatis, qualitatis, & methodi in manducando, ut nimirum sensualitatem, quoad fieri potest, reprimat & mortificet; sibiq; certo persuadeat, (uti vero verius est) hominem sensuum & carnis solatia captantem nunquam eò peruenturum, ut orationis ac meditationis praxin ritè perdiscat; cum caro & spiritus sibi è diametro aduersentur. Hæc autem sobrietas in cœna maximè requiritur, ut animus matutinis horis ad deuotionis exercitia sit liberior.

*SILENTIVM ET CVSTODIA
sensuum.*

NON minus necessaria est ad ritè meditandum mortificatio & iugis custodia linguæ, cæterorumque sensuum, maxime visus & auditus. Etenim curiositas videndi & audiendi distractionis origo est, deuotionemque mirum in modum

F 3 impe-

impedit : nimia verò in loquendo effusio multò adhuc ampliùs : sicut è contrario taciturnitas , & non sollicitari de videndis & audiendis, quæ ad nos nihil attinent , maximoperè deuotionem promouet. Quapropter qui in sancto orationis exercitio fructum aliquem facere desiderat, maximam ponet diligentiam in obfirmandis portis, oculorum, oris, & aurium , vt quoad fieri potest, ita viuat, quasi mutus, cæcus, & surdus existat.

SOLITVDO, RECOLLECTIO
& orationes iaculatoria.

PROPTER eandem causam, præcipua ad rectè orandum & emendandum præsidia atque adiumenta sunt, solitudo & recollectio sui ipsius, id est, abstractam vitam agere, cellam suam diligere, nec amplius cū hominibus quam necessitas exigat, conuersari. Non parum quoque